



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Illvstrissimo Domino D. Honorato De Chavlnes Dvci Ac Pari Franciaë, Primo
Regni Mareschallo, Et Alverniæ Proregi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147



ILLVSTRISSIMO DOMINO D.
HONORATO
DE CHAVLNES
D V C I
AC PARI FRANCIAE,
PRIMO REGNI MARESCHALLO,
ET ALVERNIAE PROREGI.

GEOGRAPHICVM opus in
tua ditione informatum, in
oculis propemodum tuis affe-
ctum, inter assiduas regenda Societatis
nostrae sollicitudines tuas absolutum at-
que perfectum, si alteri consecrarem
quam tibi (VIR ILLVSTRISIME)

* iij

EPISTOLA.

*facerem iniuriam tibi , mihi , Societati.
Cum enim & presentem congressu , & colloquio , tam saepe dignatus sis , & absentis memineras semper cum tantâ benevolentiae significatione , ne tu male in eum beneficia collocasse putareres , qui de te ubique terrarum loqui , omnibus te populis presentem sistere defugeret. Ego verò tot emensurus maria , tot peragraturus regiones parùm prudenter fecisse viderer , nisi eum mihi fautorem atque patronum deligerem , qui esset orbi terrarum notissimus. Ecquis enim vnus in vnum conflare queat mortalium omnium de terris omnibus notiones , indagare situs urbium , quarum etiam perière ruinæ , componere inter se Antiquæ , atque Recentis Geographiæ fines , quos ambitio Principum tam saepe fixit atque refixit , nisi eius*

EPISTOLA.

subnixus auctoritate, cuius prudentia, sagacitas, iudicium vix apud alios inuenient fidem, nisi qui viderint, & experti sint. Societas denique nostra, quam sic ubique verbo, factisque fouisti, ut tuam dicere queas, quod amoris in te testimonium melius ederet, quàm si qua per totum orbem disseminata est, eadem per me, grati animi sui in te monumentum regionibus omnibus peramanter affigeret.

Quamquam si abessent beneficia, flagitaret id tua virtus coniuncta cum felicitate singulari, & digna gentium omnium admiratione. Attigisti enim quò virtus eniti posset: Sic omnes honorum gradus decurristi, ut maiores suauissimis moribus tuis deberi nemo non fateretur. Quantum illud porro fuit, in tantà inuidorum copià, tuam semper stetisse for-

EPISTOLA.

tunam, & gratiosissimis Aulicorum. sese
vicissim ex Regis sinu detrudentibus,
vnum te numquam excidisse? Videlicet
est aliqua supra inuidiam virtus, quam
conuellere improbi, etiam si maxime
velint, non possint. Quid optare deinde
potuisti quod in sinum tuum Deus im-
mortalis non effuderit cumulatissime?
CONIVGEM? Obtigit tibi lectissima,
& Principe dignissima, seu nobilitatis,
seu formae, seu diuitiarum, seu virtu-
tis ratio spectaretur: LIBEROS? tot
suscepisti, quot implendis Galliae, & Ec-
clesiae dignitatibus satis essent. AFFINES?
iis institutionem Ludouici Adeodati Re-
ginae sapientissima credidit, & Galliae or-
bisque spes vniuersas huius addixit cu-
ra quem Filius tuus fortissimus Socerum
vocat. HONORES? eos recepisti, qui

Prin-

EPISTOLA.

*Principes hæcenus exornarunt. DIVI-
TIAS? iis circumfluxisti quibus Regi,
Sceptroque Gallico subuenires, bellis in
Italiâ Belgioque frementibus: ut tibi
Ludouicus Iustus, non tam fortunas, &
opes concessisse, quàm in domo tuâ dif-
ficillimis temporibus seposuisse videretur.
Nihil hic de PIETATE dicam, quæ
hanc tibi felicitatem impetrauit; quæ
quanta fuerit intelliget, qui nouerit ferè
diuitias inter, & honores illam mar-
cescere, & rarum esse virtutis, magna-
que fortuna commercium: quas tamen ita
coniunxisti ut incrementis communibus
assurgerent, pietas apud te diues esset &
honorata, ut potentiùs valeret ad exem-
plum, & imitationem.*

*Accipe igitur iampridem tibi consecra-
tum munus, in quo videbis delineatum*

EPISTOLA.

*orbem virtutum tuarum testem : prodibit
incisum are , quia tui perdere memo-
riam Societas numquam cupit : aucto-
rem tibi suum sic addictum sistet , ut quo-
cumque non tantum passibus , sed & in-
telligentiâ perget , tui memor esse debeat ,
ubique terrarum mente , & corpore*

Tibi deditissimus PHILIPPVS BRIETIVS
Societatis IESV.